LITANIAE ET PRÆCES IVSSV S. D. N. GREGORII PAPAE XIII.

In omnibus ecclesijs dicendæ, ad implorandum Diuinum auxilium pro auertenda à populo Christiano Pestilentia, & pro aliis instantibus eiusdem necessitatibus.





FLORENTIAE,
Apud Iuntas: M D LXXVII.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, misere.
Spiritus sancte Deus, misere.
Sancta Trinitas vnus Deus, misere.
Sancta Maria, ora.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli, & Archãgeli, orate.
Oẽs sancti beatorũ spirituũ ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptista, ora.
Oẽs sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.

Sancte Mathæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Oẽs sancti Apostoli, & Euangelistę, orate.
Omnes sancti discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane, & Sebastiane, orate.
Sancti Ioannes, & Paule, orate.
Sancti Cosma, & Damiane, orate.
Sancti Geruasi, & Prothasi, orate.
Omnes sancti martyres, orate.
Sancte Syluester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Zenobij, ora.
Oẽs sancti Põtifices, & Cõfessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.

Sancte

Sancte Benedicte, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti sacerdotes, & leuitę. orate.
Omnes sancti monachi, & eremitę, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catherina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Reparata, ora.
Omnes sanctæ virgines, & viduæ, orate.
Omnes sancti, & sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, lib.
Ab ira tua, lib.
A peste, fame, & bello, lib.
A subitanea, & improuisa morte, lib.
Ab insidijs Diaboli, lib.
Ab ira, & odio, & omni mala volũtate, lib.
A spiritu fornicationis, lib.

A fulgure, & tempestate, lib.
A morte perpetua, lib.
Per mysteriũ sanctæ incarnationis tuæ, lib.
Per aduentum tuum, lib.
Per natiuitatem tuam, lib.
Per baptismũ, & sanctũ ieiuniũ tuũ, lib.
Per crucem, & passionem tuam, lib.
Per mortem, & sepulturam tuam, lib.
Per sanctam resurrectionem tuam, lib.
Per admirabilem ascensionem tuam, lib.
Per aduentum spiritus sancti paracliti, lib.
In die iudicij, lib.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, te rogamus.
Vt nobis indulgeas, te rogamus.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere, & conseruare digneris, te rogamus.
Vt donum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines, in sancta religione conseruare digneris, te rogamus.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus,
Vt regibus, & principibus Christianis pacē, & veram concordiam concedere, & conseruare digneris, te rogamus,
Vt regibus, & principibus Christianis vi-
tam

tam donare digneris, te rogamus.
Vt propugnatores tuos defendere, & prosperare digneris, te rogamus.
Vt Turcas tuæ sanctissimæ fidei hostes pdere, & ad nihilũ reducere digneris, te rog.
Vt cuncto populo Christiano pacẽ, & vnitatem largiri digneris, te rogamus.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare, & conseruare digneris, te rog.
Vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiternã bonã retribuas, te rogamus.
Vt animas nostras, fratrum, propinquorũ, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rogamus.
Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rogamus.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus.
Vt nos exaudire digneris, te rogamus.
Fili Dei, te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. *Secreto.*
V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.



PSALMVS XLIII.

DEus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis.
Opus quod operatus es in diebus antiquis.
Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.
Nec enim in gladio suo posſiderunt terram: & brachium eorum non saluauit eos.
Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.
Tu es ipse rex meus, & Deus meus: qui

mandas

mandas salutes Iacob.

In te inimicos nostros vẽtilabimus cornu: & in nomine tuo spernemus insurgen- tes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.

Saluasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.

In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum.

Nunc autem repulisti, & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus no stris.

Auertisti nos retrorsum post inimicos no- stros: & qui oderunt nos diripiebant sibi.

Dedisti nos tanquam oues escarum: & in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio: & non fuit multitudo in commutationi- bus eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris: subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in similitudinem gentibus: cõ- motionem capitis in populis.

Tota die verecundia mea contra me est: & confusio faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrãtis, & obloquentis: a facie
inimici, & persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti
sumus te: & inique non egimus in testamento
tuo.

Et non recessit retro cor nostrum: & declinasti
semitas nostras a via tua.

Quoniã humiliasti nos in loco afflictionis:
& cooperuit nos vmbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri: & si expandimus
manus nostras ad Deum alienum.

Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit
absćondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota
die: æstimati sumus sicut oues occisionis.

Exurge, quare obdormis Domine? exurge,
& ne repellas in finem.

Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ
nostræ, & tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in puluere anima
nostra: conglutinatus est in terra venter
noster.

Exurge Domine adiuua nos: & redime nos
propter nomen tuum.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper,
& in sæcula sæculorum, Amen.

V. Exaudi

V. Exaudi domine supplicum præces.

R. Et confitentium tibi parce peccatis.

V. Iudica domine nocentes nos.

R. Expugna impugnantes nos.

V. Apprehende arma, & scutum.

R. Et exurge in adiutorium nostrum.

V. Eripe nos de manib. inimicorũ nostrorũ.

R. Et de persequentibus nos.

V. Confundantur, & reuereantur.

R. Qui volunt nobis mala.

V. Effunde iram tuam in gentes, quæ te nõ nouerunt.

R. Et in regna q̃ nomẽ tuũ nõ inuocauerũt.

V. Disperde illos in virtute tua.

R. Et depone eos protector noster Domine.

V. Fiat tanquam puluis ante faciem venti.

R. Et Angelus Domini persequens eos.

V. Irruant super eos formido, & pauor.

R. In magnitudine brachij tui.

V. Hostium nominis tui elide superbiam.

R. Et eorum pertinaciam dexteræ tuę virtute prosterne.

V. Emitte spiritum tuum, & creabuntur.

R. Et renouabis faciem terræ.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

DEvs qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdē spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

OREMVS.

COncede nos famulos tuos, quæsumus domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione a præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

ECclesiæ tuæ, quæsumus domine, preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

DEus a quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis il-

lam

Iam quam mundus dare nõ poteſt pacem: vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

DEus qui conteris bella, & impugnatores in te ſperantium potentia tuę defenſionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus miſericordiam tuam: vt omnium inimicorum ſuorum feritate depreſſa, inceſſabili te gratiarum actione laudemus.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum: vt gentes Turcarum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiæ conterantur.

DEus qui tranſtuliſti patres noſtros per mare rubrum, & tranſuexiſti eos per aquam, nimiam laudem tui nominis decantantes: te ſuppliciter deprecamur: vt in naui famulos tuos repulſis aduerſitatibus portu ſemper optabili curſuque tranquillo tuearis.

NE despicias omnipotens Deus populũ tuũ pro afflictione Regni Galliæ, & Poloniæ clamantem: sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus.

DEus largitor pacis, & amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate cõcordiam: vt ab omnibus quę illos pulsant tentationibus liberentur.

ADesto domine supplicationibus nostris: & etiam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: vt inter omnes vię, & vitę huius varietates tuo semper protegantur auxilio.

DA nobis quæsumus Domine pię supplicationis effectum: & pestilentiam propitiatus auerte: vt mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare.

DEus refugiũ nostrũ, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta: vt, qđ fideliter petimus, efficaciter cõsequamur. Per Christũ Dominum nostrum. R. Amen.

V. Exaudiat nos Dominus.

R. Et custodiat nos semper. Amen.


LAVS DEO.

MARSILIO FICINO
FIORENTINO
Contro alla Peſte.

Inſieme con Tommaſo del Garbo, Mengo da Faenza, & altri Autori, e Ricette ſopra la medeſima materia:

Aggiuntoui di nuouo vna Epiſtola dell'Eccellente Giouanni Manardi da Ferrara, & vno Conſiglio di Niccolò de' Rainaldi da Sulmona, non piu ſtampati.

Con due TAVOLE, vna de i Capitoli, l'altra delle coſe notabili.





IN FIORENZA.

Appreſſo i Giunti. M D LXXVI.

Con Licentia, & Priuilegio.

TAVOLA DE' CAPITOLI contenuti nel consiglio di Marsilio Ficino, & Maestro Tommaso del Garbo in materia della peste.



Del

IL FINE.

